



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 2. De Vettonibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 2. *De Vettonibus.*

A quibusdam accensentur Lusitanæ, à quibusdam reuelluntur. Ampliores tamen habuisse aliquando fines ex Prudentio liquet, qui Aug. Emeritam caput Vettoniæ facit.

MORES ex *Strab.* 3. videntes Ro. Centuriones ambulantes insanire crediderunt, & se viæ comites in tabernacula obtulerunt. Ab iis inuenta Betonica, *Plinius*. Optimi equites erant, *Silius Italicus*.

§. 3. *De Turdulis & Turdetanis.*

VTROSQUE iungo quia aliqui Geographi eos coniunxerunt. Certè Bætica ideo *Turdetania* ab iis dicta legitur apud Stephanum.

REGIO *feracissima*, messes enim vberimas etiam inter oleas sufficit. Hinc tanta vrbium multitudo, quarum *Plinius* 175. *Strabo* 200. admittit. Hinc etiam quidam Elysiis campos illic locauere ob aëris temperiem. Lanæ quoque exquisitissimas dabat, quare indidem aries adineundas oves talento emebatur. Cuniculis infestabatur, quos indigenæ Felibus Africanis *des Furetz* capiebant. Erat quoque *opulentissima*: hinc enim Phœnices reperere dolia, & præsepia ex argento, & eo cum naues impleissent, anchors quoque argenteas extulerunt. Hinc etiam aurum paleis purgatur ob molliorem temperiem. Dabat & Minium, cuius magnum vectigal Pop. Rom. dicitur à *Plinio*.

MORES. *Liuius* vocat eos omnium Hispanorum maximè imbelles: sed vice versa omnium doctissimos *Strabo*; item vfos esse Grammaticâ, & leges versu scriptas ante sex mille annos habere.

§. 4. *De Bastulis & Bastitanis.*

EOSDEM quoque nonnulli confundunt vtpote Punicæ utroque originis, de quibus *Horatius*, — & *utroque Pœnus seruiat vni*.

MORES. Coniugia more Græco contrahebant. Ægros exponebant, vt Ægyptij; sic *Strabo*.

§. 5. *De Gallæcis.*

NOMEN habet à Gallis, vt vult *Beutherus*, vel à Galathe Her-